



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXX. Quod non potest vir & mulier matrimonium suum accusare, nec alii,
si octodecim annis tacuerint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1739.

tenus, vel diuertere: nisi forte illi nupsit, postquam ad annos aptos matrimoniiis contrahendis peruererit, & in eum suum omnino negauerit praestare consensum.

C A P. XXX.

Alexander III. Burdegalensi archiepiscopo.

Consuluit nos tua fraternitas, quid tibi faciendum sit de milite quodam, qui cum mulierem quamdam duxerit in vxorem, & eam longo tempore tenuerit, & prolem ex ea suscepere: nunc matrimonium suum accusat, dicens in quarto gradu consanguinitatis esse: ad quod vtique consultationi tuæ taliter respondemus, quod si præfatus miles mulierem ipsam in facie ecclesia duxerit, & longo tempore tenuerit, non debet vox accusationis suæ admitti, nisi personæ alia & idoneæ appareant, & merito suspicionis carentes, quæ matrimonium ipsum velint & posse legitime accusare: nec heredes personæ admitti debent, si per viginti vel octodecim annos insimul sine quæstione remanserint.

C A P. XXXI. *Innocentius Vintoniensis episcopo.*

Super eo quod interrogasti de sacramento coniugii, breuiter respondeo: Illam quam dixisti, a patre coniugi traditam, & ab eo cui tradita fuerat, patri commendatam, donec statuta die in domum suam ille traduceret: dico quod legitimo consensu interueniente, ex eo statim coniunx fuerit, quod spontanea ^{*con-} voluntate sese coniugem esse consenserit, non enim futurum promittebatur, sed præsens confirmabatur. Quapropter quidquid cum alia postmodum factum est in coitu sive in generatione proli, tanto reprehensibilis est secundum, quanto verius primum. Constante enim primo, quanto amplius in Deum committitur, tanto magis culpa augetur. His ergo cognitis, facile erit negotium præsentium latoris tuæ discretioni debito fine terminare.

C A P. XXXII. *Idem Cassinensi abbati.*

Ex literis tuis ad nos directis accepimus, quod cum quidam secreto mulierem viduam subarrasset, & cognoscens carnaliter cohabitasset cum ea per annum, Mundaldus virum mulieris traxit in causam, proponens quod